

tilis; *Glyceria capillaris* (Wahlberg Fl. Gothoburg.) quæ flosculis crassioribus, staturaque robustiore obeso, ob pinguedinem in "littore limoso" maris (Wg. Fl. Sv.) omnino contrarium *Glyceriæ capillari* Liljebl. tenet, sed *Gl. distans* a mari remota medium. Cum his comparari possunt *Salicornia*, herbacea α ., *Eryngium maritimum*, *Atriplices*! quæ, quum a litore maris removentur, gracilescere solent, sed in ipso litore maris, præsertim super strata *Fucorum* putrescentia, foliis, caule et valvulis seminiferis, crassis et valde succosis luxuriant. Huc igitur citari potest *Sagina stricta* Fries; *S. procumbens* β . Fries Nov., *Montia fontana* β . *major* etc.

§. 40.

Vegetatio *continentalis*, est vel *campestris*, vel *sylvestris*, vel *montana*, vel denique *alpina*. In his campestris medium tenet, ideoque producendis varietatibus minus apta. Quare in dijudicandis formis, potius ea, quæ locis campestribus nascuntur, tamquam primaria existimanda. Nonnulla tamen exempli causa citare non pigebit. *Veronica spicata* α .; *Valeriana officinalis* β .; *Heracleum sphondylium* β . *angustifolium*; *Thalictrum simplex* β .; *Vicia cracca* β . *tenifolia*; *Trifolium procumbens* β . etc.